

ex aliis Marianae gratiae Panegyristis transcrip-
fisse videar, adeundi ex nostris Suarius to. 2.
in 3. p. Barradas to. 1. lib. 6. Salazarus in
c. 31. Prov. 61. v. 29. Spinellus in Opere egre-
gio de Deipara Dei Throno, Mendoza in 1.
lib. Reg. c. 4. v. 11. Annotat. 11.

Omnis gratia, omnesque virtutes à Deipara,
& per Deiparam ad nos derivantur.

2102 Ergo ulterius, & aio deinde, verba
Ecclesiastici eò tandem spectare, ut
ostendant, Virgini Deiparae non solum id nos
debere, quod Christum genuerit, & pepererit
in mundi salutem; sed etiam quòd in illa om-
nem gratiam inveniamus, quae ex ea, & per
eam ad nos derivatur: In me omnis gratia via,
& veritatis, &c. Sic explicat haec Mariae ver-
ba, S. Bonaventura in Speculo c. 3. Quem
ut teneas, preme tantisper illum Ecclesiastae
locum c. 1. Omnia flumina intrant in mare, &
ad locum, unde exeunt, revertuntur. Flumina
in mare recurrunt, quia ex mari exeunt per
meatus occultos, unde fontes erumpunt. Tam-
etsi alii propter vapores explicant, qui à so-
le è mari excitati concresecunt in pluvias, un-
de fontes, & flumina existunt. Audi modò
Seraphicum Doctorem. Maria est mare gratiam
assuendo. Maria dicitur mare propter affluen-
tiam, & copiam gratiarum. Unde scriptum est:
Omnia flumina intrant in mare, &c. Flumina
sunt Charismata Spiritus sancti. Omnia ergo
flumina intrant in mare, dum omnia charis-
mata Sanctorum intrant in Mariam. Percurrit
deinde omnes Sanctorum conditiones, & flu-
mina gratiarum in Mariam confluentia, quasi
in mare omnium fluminum aquas longo in-
tervallo superans; & subdit: Omnia flumina
intrant in mare, & omnes gratiae intrant in Ma-
riam, unde ipsa optime dicere potest illud Ec-
clesiastici: In me omnis gratia via, & veritatis,
& in me omnis spes vitae & virtutis. Hinc
illico concludit: Quid mirum, si omnis gra-
tia in Mariam confluit, per quam tanta gra-
tia ad omnes defluit? Est id profusus, quod
aiebat Ecclesiastes; flumina in mare recurrere,
quia ex mari exeunt: imò idèò Deus illam
aquarum immensitatem in unum maris locum
congregavit, non ut ibi eas restagnaret, &
cohiberet; sed ut per occultos meatus è fon-
tibus erumperent, vel evaporatae in pluvias
concresecerent. Sic in Mariam omnis gratia via
& veritatis congregavit Deus, ut tibi plena,
superplena esset nobis, ut ex illa, & per il-
lam omnis ad nos gratia profunderet. Omnia
flumina intrant in mare, id est, in Mariam,
& mare non redundat, redundat tamen in nos
per eam mare largitatis divina, quia de plen-
titudine ejus accepimus omnes, in presenti gra-
tiam & in futuro gloriam. Verba S. Bernardi
Senensis sunt tom. 3. ferm. 2. de Nomi-
ne Mariae ar. 3. c. 4. Legendi S. Bernardus
ser. de aqua ductu, S. Laur. Justinianus ser-
mone de Annuntiatione S. Chrysof. sermone
142. S. Petrus Damianus sermone de Assumpt.
7. Anselmus apud S. Bonav. in Speculo c.
7. Vide me, supra ad illa verba: Ego feci
in caelis, ut oriretur lumen indeficiens, in il-
lustratione textus pro Deipara.

2103 Denique, ad plenam nostri Ecclesi-
astici intelligentiam, observanda hic nonnulla,
quae ad Virginem Matrem spectant. Primò,
Dionysius Carthus. sic illa verba: Ego Ma-

Eccl. 1.7.

S. Bonav.

Carthusia.

ter pulchra dilectionis, &c. explicat: Sicut in-
creata sapientia Mater est harum virtutum vas
infundendo per creationem, seu principaliter
producendo, conservando, nutriendo, ac perfi-
ciendo; sic piissima Domina nostra earundem
Mater est meritorie & instrumentaliter ac se-
cundario, obtinendo, conservando, alendo, &
ad perfectionem ducendo. Consonat sanctus An-
toninus 4. p. tit. 15. c. 17. §. 3. In dicta au-
thoritate notantur tres illae virtutes Theologicae,
quas Virgo non solum in se habuit in mente, sed
in aliis procurat. Ea propter appellatur B. Vir-
go à sanctis Patribus Mater nostra, Mater gra-
tiae, Mater salutis nostrae. Imò Angelorum
Mater bono quodam sensu appellari potest. Au-
di sanctum Bernardinum tom. 3. fer. 11. art. 2.
c. 1. B. Virgo ab ipso Patre aeterno accepit fon-
talem fecunditatem ad generando electos, &
etiam ipsos Angelos in aliquo gustu & gradu,
& experientia divinorum. Et S. Antoninus 4.
p. tit. 15. c. 14. §. 3. statuit Deiparam esse
non hominum tantum, sed Angelorum etiam
Matrem, quia quiddam est causa causae, est
causa causati. Sed Angeli recipiunt illumina-
tionem, perfectionem, & beatitudinem à Jesu,
per quem omnia restaurantur in caelo & in ter-
ra. Ergo B. Virgo, cum sit Mater Jesu, causa
est, aliquomodo gloria Angelorum; ut aptè di-
catur Mater eorum. Et quidem, sicut Angeli
boni à Christo Domino suam constantiam, &
perseverantiam in bono, ne de illo unquam
ruerent, acceperunt; unde illud Bernardi ser.
22. in Cantica: Qui erexit hominem lapsim,
dedit stanti Angelo ne laberetur; sic illum de
captivitate eruens, sicut hunc à captivitate de-
fendens; solvens illum, & servans ipsum. Ita
similiter à B. Virgine habuerunt firmitatem
& stabilitatem in gratia & virtutibus acceptis;
sicut homines ab illa habuerunt redemptionem,
& salutem.

2104 Rursus hic observa S. Anto-
nini verba titul. 15. c. 2. Pulchra dilectio est,
ut diligatur amicus in Deo, & inimicus propter
Deum. Verè pulchra, quia cum luce gratiae, &
clara fama. Matt. 5. Diligite inimicos vestros,
ut sicut filii Patris vestri, qui in caelis est, scilicet
Dei. Et sic eritis filii Matris vestrae, scilicet
B. Mariae. O validum ad amorem inimi-
corum incentivum! Vel sola tantae Matris um-
bra potens est hanc pulchram dilectionem ge-
nerare. Annè aliquando audisti Ambrosium de
Moysè, illo populi Israelitici ductore sic lo-
quentem: Quantas à populo illatas absorbe-
bat contumelias; & cum Dominus insolentes vin-
dicare vellet, se tamen pro populo offerebat fre-
quenter, ut indignationi divinae plebem subdu-
ceret. Quam mihi sermone post injurias appel-
labat populum, consolabatur in laboribus, de-
linebat oraculis, fovebat operibus? Alludit ad
verba Exodi 32. 31. ubi Moyses ad Deum:
Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis,
dele me de libro, quem scripsisti. Ubi Ecclesi-
astae Patres nimio opere commendant pulchram Moy-
sis dilectionem erga inimicos. Sed unde, quae-
so, pulchra haec illi dilectio? Certè à Deipa-
rae umbra, & simulachro quodam, quale extitit
rubus ille, igne correptus & non combustus,
quem ipse vidit Exodi 3. ut enim S. Damascenus
Orat. 2. de Assump. Virg. Per simulachrum
quoddam, & umbram Mariae tantus Legislator
& princeps creatus est. Vel sola Virginis umbra
Molem Ducem populi creavit, & pulchram in
ejus animo dilectione generavit, quasi pulchrae
dilectio-

Maria Ma-
ter omnium
gratiarum.

S. Anton.

S. Bernard.

Generat om-
nes electos.

Mater etiam
est Angelo-
rum.

S. Bernard.

Maria Ma-
ter pulchra
dilectionis
erga inimi-
cos.

S. Ambros.

Exo. 32. 31.

Vel sola Dei-
para umbra
amorem in-
micorum in-
gerbat &
Moysi &
Davidi.

S. Damasc.

dilectio-

SECTIO IV.

Adstruitur immaculata magne Dei Matris Con-
ceptio ex illis verbis: In me omnis gratia
viae, & veritatis.

2107 Sive legas: In me omnis gratia viae; si-
ve; In me gratia viae omnis; parti-
cula omnis emphatica est, amplectens planè,
ac plenè omnem gratiam, vel gratiam omnis
viae, id est, omnis creaturae, quae solent viae
vel viarum nomine appellari in sacris litteris
Proverb. 8. versu 22. Dominus possedit me in
initio viarum suarum. Job 40. versu 14. Ipse
est principium viarum Domini. Vel gratia viae
omnis, erit illa, quae omnibus viatoribus,
dum viatores sunt, conceditur à Deo: & om-
nis gratia viae, erit illa, quae datur in via ad
gloriam, sive Angelis, in prima sua crea-
tione, & dum viatores futùre; sive Adamo, &
Evae in felicissimo innocentiae statu. Omnem
hanc gratiam, & gratiam omnis hujusce viae
in Deiparam confluisse, ipsa decantat: In
me gratia omnis viae: gratia omnes gratiae dif-
ferentias ambiens, vel omnes omnium gratias
amplectens: voluntarium enim esset sacram il-
lam vocem, omnes, sic coercere; ut non etiam
gratiam Angelorum, & Protoplastorum, in
qua conditi sunt, comprehendat. Existimo
ergo, illis verbis haud obscure astrui immac-
ulatam Virginis Conceptionem, cui praesò
adfuìt originalis gratia ab initio illam adon-
ans, & excolens.

Similis extat apud Salomonem locutio, &
eodem spectat, Cantico 4. versu 7. Totà
pulchra es, amica mea. Hebraicè, Omnis tu
pulchra. Ubi particula tota, vel omnis, omnes
ambit pulchritudinis partes, nullà demptà; ut
omnis omnium interna gratia pulchritudo, ori-
ginalis etiam, Deiparae concedatur. De quo
fusè egimus supra expedientes haec Cantico-
rum verba. Vide ibi dicta à n. 789.

2108 Adest hic Gabriel caelestis curiae no-
bilissimus princeps, sic venerabundus salutans
Mariam Virginem Dei Matrem. Ave gratia
plena. Quà gratia? Omni profusus gratia, res-
pondet sanctus Anastasius sermone de sancta
Maria. Factum est, ut gratia plena appellata
sit, utpote quae omni gratia abundaret. Et san-
ctus Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 16. Cum Do-
minus in privilegio suo, quod ei mitti per An-
gelum, dicat, gratia plena, nullam specifican-
do; erit pro omnibus interpretandum. Ergo,
qui gratia plenam dicit, omni gratia plenam
asserit, originalem etiam concedit & compre-
hendit. Ita sanctissimi non pauci Ecclesiae Pro-
ceres illa verba interpretantur. Selectiora tes-
timonia donabo, omisiss aliis, quae obvia in
aliis scriptoribus extant.

2109 Sanctus Gregorius Neocæsar. sermo-
ne primo de Annuntiatione sanctae Mariae:
Convenienter Angelus sanctae Mariae Virgini pri-
mo nimirum illud, Ave gratia plena praesig-
ficavit, quoniam cum ipsa totius gratiae the-
saurus conditus erat; ex omnibus enim gene-
rationibus haec sola Virgo sancta corpore, &
spiritu genita est. Græcè οὐν γεννηται. Et ser-
mone secundo similia habet in eadem verba.
Et, ut claret, propterea gratia plena Ma-
ria appellatur, quoniam cum ipsa & in ipsa to-
tius gratiae thesaurus, omnis nempe gratiae
viae,

Exod. 32.7.

Tertullian.

Maria spes
nostra, pres-
idium, vigor,
& robur.
S. Bernard.

S. Thomas.

S. Ephrem.

S. Damasc.

S. August.

Cantic. 4.7.

S. Gregor.
Neocæsa.

via; originalis signatim, per quam sancta corpore & spiritu genita est. Quid clarius? Consonat S. Augustinus sermone primo de Annuntiatione. Impleta est gratia Maria, & Eva evacuata est culpa. Quo sanctitatis hac Virgo indigere potuit, que efficacis ad omnia gratie plenitudinem accepit? Aut quis unquam in eius anima culpe locus potuit inveniri, que ad instar celi continentis omnia, templum Domini est effecta? Preter sanctus Bernardus Senensis sermone 56. de Salut. Angel. Feria 3. post Domin. Olivar. art. 2. cap. 1. Gratia plena, quia macula originalis non est in te. Richardus Victorinus. His accedat serenissimus Joannes Rex Aragon. in Privilegio XI. de purissima Conceptione B. Mariæ. Desuit ergo tam excellentissime Virgini in conceptu almsici sui corporis aliquid puritatis vel gratie ob præsum originale peccatum: quam missus ad eam celestis nuncius, pacis Angelus, salutando, Ave gratia plena, prædicavit? Sic etiam illam Marianæ gratie plenitudinem ad omnem gratiam, originalem quoque, referunt sanctus Fulgentius, live sanctus Augustinus in sermone decimo quinto de tempore, 11. de Nativitate Domini, & 2. de Annuntiatione; S. Bonaventura in sermone secundo de Beata Virgine Maria. 2110 Eodem spectant illa ejusdem Angeli verba: Ne timeas Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Quam gratiam? Quam prius dixeram plenam, & vere plenam, ait sanctus Chrysologus sermone secundo de Annuntiatione. Omnem invenit gratiam, illam etiam quam Angeli, Adamus & Eva invenerunt in sua prima conditione. Accipe integrum sapientissimi Idioteæ testimonium in contemplatione capite sexto. Invenisti gratiam apud Deum, o dulcissima Virgo Maria! Gratiam, inquam, corporalem; quia fuisti vas innocentie purissima sine macula & labe, & virginitatis primipila sine corruptione fecunda, sine fastidio gravida, & sine dolore puerpera. Invenisti Virgo Maria gratiam spiritualem, quia fuerunt in tua mente devotio humilitatis, reverentia pudoris, magnitudo credulitatis, & martyrium cordis. Invenisti Virgo Maria gratiam celestem, quia fuerunt in te ab originis labe preservatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti superventio, & Filii Dei conceptio. Sed qualiter, o Virgo, istas gratias invenisti? Certè, sicut Eva gratiam amisit per superbiam, inobedientiam, & curiositatem vanam; sic tu è diverso gratiam invenisti, quam nunquam amisisti, que futura eras omnium humillima, obedientissima, & in Dei scientia solidissima. Quid luculentius? 2111 Egregie admodum sanctus Damascenus sermone primo de Dormitione Deiparæ ad illud, Invenisti gratiam apud Deum, ita scribit: Gratia abyssum invenit, que duplicis virginitatis navem incolumem servavit, animamque non minus quam corpus, virginem custodierat: unde etiam corpori virginitas constabat. De illa gratia loquitur, que Virginis animam inviolatam servavit & illam, qualis fuit originalis gratia, per quam à primigenia culpa immunis extitit; sola enim culpa mentem & animum violare potest; & cum originale peccatum sit primus innocentie violator, longè amandari debuit à Virginis anima; alias non Virgo mente, si peccato origi-

S. August.

S. Bern. Senensis. Richardus Victorinus.

Rex Arag.

Lucæ 1. S. Chrysol.

Invenit apud Deum omnem gratiam.

Idiota.

Et illam quoque quæ Eva perdidit.

S. Damasc.

nali corrupta, ut Gerson loquitur serm. de Conceptione. 2112 Accedit Andreas Cretenis in sermone de S. Mariæ Salutatione. Ne timeas Maria; nacta es enim gratiam, quam Eva perdidit. Eò quod dicit gratiam, solvit omnem sententie ambiguitatem, & id, quod antea videbatur ambiguum. Ne timeas Maria: non fraudulentus hic modus est, haud fallendi animo ad te venio; non impostor serpens rursus tibi loquitur. Existimat Andreas, ad primum Angeli ingressum, primaque verba, Virginem in animo secum suo verasse primæ Parentis lapsum, deceptionis primæ casum, per quem Eva originale gratiam perdidit. Secura sit, monet Gabriel, quia illam primam gratiam, quam Eva perdidit, ipsa invenit, ipsa recepit, ac recuperavit majori cumulo, ac per illam à serpentis deceptione immunis prorsus fuit. Similiter explicat Hugo Cardinalis ad cap. 1. Lucæ: Invenisti quidquid Eva amisit. Imò novam gratiam à Maria inventam illa Evæ originali majorem, firmiorem, solidiorem, addit Theophanes Hymno in Annuntiationem Deiparæ. Invenisti gratiam coram Domino, quam invenit nunquam alia quepiam, o purissima! Tu enim sola Mater filii præelecta & pura. Ave purissima: ave Adæ revocatio. Similia habet sanctus Bernardus sermone secundo de Annuntiatione. En tibi, quò jure Deipara Virgo de se prædicat: In me omnis gratia via, comprehendens primam gratiam Angelorum, & Adami & Evæ originalem justitiam, & sanctitatem. Vide me in opere, quod Hispano sermone ediji in Salutationem Angelicam pro immunitate Deiparæ. 2113 Sed quid est, quod addit, in se non tantum omnem gratiam viæ esse, sed & omnem gratiam veritatis? Ut hoc explicem, & illustrem, præmitto illa sancti Bernardi verba in sermone secundo super Salvæ Regina, ubi agens de furo vanitatis, & de solido veritatis, sic subrexit: Primus homo ad hoc conditus erat, ut si non peccasset, contemplationis præsentiam vultui creatoris semper assisteret, & solidum veritatis agnosceret, agnium amaret, amatum teneret, tenendo fruere, semperque ei adharendo, qui immortalis est, etiam vitam ipse sine termino possideret. Subdit deinde: Sed circumscriptus astutiæ serpentis, & deceptus furo vanitatis, specie videlicet creature visibilis, fontem veritatis deseruit, affectum pulchritudini rerum inclinavit, & statim ignorantie cecitate percussus foras venit, & ab intima luce contemplationis factus est vagus & profugus super terram. Ut vides ad statum justitiæ originalis, in quo conditus Adamus fuit, spectabat quod solidum veritatis agnosceret & agnium amaret, &c. Per peccatum originale, in quod incidit furo vanissimi pomi, ac vanissimæ promissionis deceptus, solidum veritatis amisit, fontem veritatis deseruit: dixerim, omni veritatis gratiæ orbem fuisse, in meram vanitatem prolapsam, qui in solido veritatis fuerat creatus. Quid ergo, ut homo ad solidum veritatis revocetur, longè à se amandatà vanitate? Certè per Deiparam Virginem id factum esse, addit Bernardus. In hoc exilio omne penè genus hominum ab initio usque ad adventum Regine ad solidum calorum, veritatis patrie suspiriis nullis, seu desiderio recordabatur. Ipsa prima viam aperuit ad

Andre. Creten.

Theophan.

Quid sit gratia veritatis.

S. Bernard.

In solido veritatis creatus Adam, quod per culpam amisit.

Per Deiparam ad solidum veritatis revocatur homo.

ad patriam; & veritatem mundo generans de- dit omnibus manifestam. Igitur in hoc sensu ait de se B. Virgo: In me omnis gratia veritatis; illius nempe, in qua conditus est Adamus; non enim decebat, futuram veritatis Matrem in veritate illa originali non fuisse: fuit, æternumque Maria stabit. Non illa decepta furo vanitatis à serpente, non fucato veritate arboris fructu, fucataque Divinitatis promissione. Nam, ut eleganter sanctus Hieronymus, sive ut aliis placet, sanctus Maximus Episcopus Taurinensis in Epistola de viro perfecto ad amicum ægrotum, expendens illud Geneleos; Inimicitias ponum inter te, & mulierem; serpentem ita exagitat: Suscitabo mulierem, que repudiata facilitate credendi, te non audiat, si suavitatem pomorum pro adaperitione monstraveris oculorum. Quo pertinet sanctus Hieronymus in sermone de Assumptione. Quidquid in ea gestum est, totum puritas & simplicitas, totum gratia & veritas fuit: & ideo immaculata, quia in nullo corrupta. Signatè observat simplicem veritatem, quam versuti serpentis mendacis opponas, utpote in nullo ab ipso corruptam. Sic Deipara, vel à puncto Conceptionis solidum veritatis agnovit, agnium amavit, amatum tenuit, tenendo fruebatur, ac semper adharendo immortalis Deo, omnem vitam gratiæ & veritatis sine termino possidet.

S. Maxim.

SECTIO V.

In immaculato Deiparæ sue Matris Conceptu, seipsum ostendit Christus pulchram Dilectionem, Timorem, Agnitionem, & Spem sanctam. Et qua id ratione.

§. I.

Mariæ semper Mater Dei, atque adeò semper in gratia Dei.

2114 Unum præmittere oportet; B. Virginem non solum post conceptam, editamque nam ac divinam prolem, Matrem Dei censendam, ac pronuntiandam; sed quia illam conceptura, & editura erat, tantam futuræ Matris rationem fuisse habitam, ut Maternæ hujus dignitatis & gloriosum titulum, & honorem summum, à prima sua formatione ipsa præ se tulerit; jam inde ipsam Matrem Dei cælum agnovit, jam Tartarus exhorruit. Hæc spectare reor Sacras Scripturas illas, quæ cum Mariæ meminerint, Uteri Virginis nomine illam compellant; quasi ubi primum Maria sit, uterum gestatura, Materque Dei futura excogitari debeat, & inde magis ejus prædicari. 2. Regum 7. cap. 12. Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. Et Psalmo 131. vers. 11. cum inuitu ad hanc promissionem Davidi factam, canebat ipse: Juravit Dominus David veritatem: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Uterus & venter appellatur hic Deipara Virgo, ut explicat S. Irenæus libro 3. adversus Hæres. cap. vigesimo septimo. Tertullianus libro tertio contra Marcionem capite vigesimo. Sanctus Cyprianus libro primo Testimoniorum capite decimo quinto. S. Augustinus l. 17. 18. de Civitate Dei capite octavo. Tychonius Regula 4. Theodoretus in lib. 2. Regum, quæ-

Maria, vel in sua prima formatione fruebatur Matris Dei privilegio. 2. Reg. 7. 12.

Pl. 131. 11.

Uterus & venter appellatur Maria.

stione vigesima secunda. Eucherius & Rabanus in eundem locum; & plerique doctissimi Neoterici, quorum agnitionem merito duxerit noster Hieronymus Prædicator in Isagoge ad Ezechielem Sectione quinta. Item Psalmo 109. versu 3. Ex utero ante Luciferum genui te. Quod de Maria explicant Justinus, Tertullianus, Augustinus, Hefychius, & alii apud nostrum Lorinum. Ubi Eusebius observat, in quibusdam Codicibus Hebræicis pro utero, seu ventre, legi Maria. Pro eo quod est ex ventre, vel utero, Hebræicum ipsum habet Mariam. Itaque indiscriminatim, Deipara, vel Maria dicitur, vel uterus antonomasticè: quia tota Mariæ gloria meritis est: neque enim ullum tempus fingi potest, quo Maria non fuerit uterus, quò non fuerit Dei Mater cogitata, & Matris Dei privilegii, & immunitatis potita. His obiter adnecto illud Isaie capite undecimo. Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Virga est Maria, flos extat ejus Filius, Ad quæ verba Bernardus Sermone secundo de Annuntiatione. Illud, inquit, attende diligenter, quod florem hunc de radice, non de virga dixerit ascensurum. Etenim ex radice virgæ flos pullulavit, id est, ab ipsius Matris Conceptione & origine prima, quia jam illam in prima formatione Matrem agnoscebat, & Mater tantæ dignitatis gratius fruebatur: atque adeò in justitia & gratia originali concipiebatur. Unde pro egredietur Virga, ex Hebræo, ut supra probavi, legi potest; concipietur, gignetur purissima. 2115 Audiendi hic Patres, ex multis nonnulli. Sanctus Petrus Chrysologus Sermone 146. ad illud: Cum desponsata esset Mater ejus Maria, ita ex more suo arguit: Suffecerat dixisse: Cum desponsata esset Maria. Quid sibi vult sponsa Mater? Si Mater, non sponsa: si sponsa, non adhuc Mater: virginitate sponsa, fecunditate Mater: Mater viri nescia, partus conscia. Aut quomodo non ante conceptum Mater, quæ post partum Virgo Mater? Aut Genitrix quando non, quæ feculorum genuit Auctorem? Sponsam simul, & Matrem Dei agnoscit Virginem Chrysologus, ac sicut semper sponsam, ita semper Matrem dicendam esse contendit, hæc nimirum ratione. Cum Virginis honorem, etiam post partum, tanta Mater secum perduxerit; cur etiam ante partum Matris gloriam tanta non præulerit Virgo? Neque enim minus dicebat Deiparam, ut Virginitas futuram Maternitatem etiam ante partum præferret. Maxime cum ejus filius seculorum Autor existat, ac proinde, sicut virginitatis honorem perpetuum possit Matris Virgini coaptare. Aut Genitrix quando non, quæ seculorum generavit Auctorem? Et paulo post: Maria Mater vocatur, & quando non Maria Mater? Igitur si semper Mater, si Genitrix nunquam non, profectò, in prima etiam creatione, in purissima etiam Conceptione Deiparam se præstitit, Dei Genitricem sese exhibuit: ab illo temporis articulo pro Matre habita, Materno honore excepta, anticipata gratiæ privilegio præculta est, & præhonestata. Confer prædictum Chrysologi testimonium cum illo ejusdem in Sermone centesimo quadagesimo secundo: Virgo te gratia Matrem præstitit. Si ergo semper Mater, semper in gratia.

Plat. 109. 3.

Eusebius.

Isai. 11.

S. Bernard.

S. Chrysol.

S. Antonin.